

B. C. D.

Ad
audiendum Sermonem Valedictorium
de

MERCATORE LITERATO,

h. e.

de

MUTUO LITERARUM ET MER-
CATURÆ ADJUTORIO,

â

Nobili & bonæ spei Adoleſcente

THOMA AUGUSTO

Fleischer/

Viri Nobilissimi,

DOMINI DAVIDIS Fleischer/

Hæreditarii in Wiederau, Senatoris apud LIPSIENSES dignif-
simi & famigeratissimi Mercatoris,

CHARISSIMO FILIO,

in Patriam Urbem

LYCEO LAUBANENSI

jussu Optimi Parentis reversuro

d. 10. Februar. Anno M. DC. IC. habendum

omnes Literarum & Mercaturæ

PATRONOS, FAUTORES, CULTORES

LAUBANENSES

decenter invitat

M. Gottfried Hoffmann / *Rektor.*

LAUBÆ, typis Michaëlis Hartmanni.

erud.

72,18

10th. Theobaldus, 24. Jan. 1718. — Vol. de Sächs. Mercaturabeysetz.



Agna est Rei literariæ & mercatoriæ necessitudo, & altera alteram egregiè adjuvat. Literæ non minus prudentiam quam felicitatem mercandi & auctiorem reddunt & constantiorem: quò quis enim doctior vel prudentior, eò aptior est ad rem mercatoriam, & quò quis aptior ad negotia sua, eò est felicior. Mercatura Literis & sedem magis amplam & operandi facultatem com-

modiorem opulentiam suam conciliat: quò quis enim ditior, eò majores & sibi & toti Reipublicæ inserviendi vires habet, & quò florentior Mercaturæ studio Patriæ redditur status, eò ampliores bonarum literarum sunt officinæ, eoque potentiores, quorum Munificentiam, Benignitate, Commendatione vel Providentiâ amica nobilis Literatorum labor florere solet. Et sanè cum omnes ætatis humanæ partes, omnis publicorum temporum varietas, omnes instituendæ vitæ rationes ita Literarum auxilio indigeant, ut, eas si quis sustulerit, Solem ipsum de mundo sustulisse videatur: quin eadem quoque Mercaturam adjuvent, dubitare non potest, nisi qui rerum omnium planè ignarus. Atque ad Rem Literariam multum augmenti pariter & ornamenti in dies redundare è sedulo Mercaturæ studio, testes sunt Academia, testes omnes Scholæ, imò universus Literatorum Cœtus testis est. Et licet tam familiare commercium & connubium tam amicabile cum Mercatura ineant, ejusque subsidia expetant & admittant bonæ Literæ; nihil tamen hac familiaritate de sua dignitate & splendore detrahunt.

Facultas enim mercatoria quam maximè ad studia Literarum accedit, & à DEO, omnium rerum summo Moderatore ducit originem, atque tam honesta tam liberalis est, ut homines alioque clarissimos priscis temporibus Mercaturam sequi atque exercere non puduerit, inter quos, ut à Plutarcho accepimus, magnus ille *Solon* fuit, qui saluberrimas Atheniensibus leges tulit, *Hippocrates Coss*, omnis Medicinæ Parens, divinus *Plato*. *Milesius*
Tha-

Thales, Cato Uticensis, & alii. Quid? Quod Equitibus Romanis mercari etiam licuerit, & apud Venetos, Genuenses, Florentinos, Luccenses statuto etiam cautum sit, ne Mercaturam exercentes Nobiles, ignobiles fiant. Et quis est, qui nesciat, Lusitaniæ Reges mercaturas fecisse abundantissimas atq; quæstuosissimas, sine omni contumelia? Et nostra quoq; ætate annon hæc peculiare quoddam ornamentum est, annon delicia Virorum Principum? Neq; desunt, qui ob studium atq; operam, quam Mercaturæ dederunt, summum honorem & laudem sunt consecuti, & è privatis Nobiles imò Comites effecti. Quid Italiæ & Germaniæ, quid Galliæ, Hispaniæ & Angliæ tot familias tot civitates ad summum ferè Nobilitatis & honoris culmen extulit? Quid infinitis propè opibus adauxit, nisi strenuæ civium & exterorum negotiationes & Mercaturæ? Hæ sanè, ut Plutarchus ait, ad Regum & Principum etiam familiaritatem contrahendam momentum magnum habere censentur. Testes sunt *Fuggeri, Velseri, Grimaldi, Saulii, Bonvisii, Strozze, Medices*, cum quorum aliquibus Reges Cæsaresq;, ipsi connubia affinitatesq; conjungere non dubitarunt. *Laurentii enim Medices* filiam filio suo *Henrico* Regi Galliæ designato, *Franciscus* Rex ejus nominis primus, despondit & copulavit. *Carolus* verò Cæsar filiam *Alexandro Medici*, primò *Florentinorum*, Cæsaris autoritate, Principi in matrimonium tradidit. I nunc & *Mercaturam* ignobilem & indecoram *Literatis* dicere aude, cujus cum Cultoribus conjugia & Affinitates terrarum Domini contrahere sibi laudi & commodo fore duxerunt.

De mutuo hoc *Literarum* & *Mercaturæ* adjutorio verba quædam, cras, D. V. finitis Sacris publicè facturus est nobilis & magnæ spei Adolescens, *Thomas Augustus Gleischer*/ quem ad eligendum illud dicendi argumentum causa impulit non una. Primò enim *Lipsiam* agnoscit Patriam, urbem sanè *Literatis Mercatoribus* non paucis insignem. Deinde & ipse Parente utitur *Literarum* & *Mercaturæ* studiosissimo. Porrò lætatur se sanguine & amore tangi Magnifici & Nobilissimi Dn. ADRIANI STEGERI, Consulis Patriæ urbis summè meriti, Viri literarum favore studio atq; præsidio celeberrimi. Tandem voluntate paternâ se novit destinatum studiis non minus *Literarum* quàm *Mercaturæ* simul tractandis. Singula cum perpenderet optimus ille Adolescens, ipsi valedictorium sermonem cogitanti se ultrò quasi obtulit illa dicendi materia. Conciliavit sibi hic noster Alumnus sua pietate, modestiâ & obedientiâ omnium amorem; hinc & dignus est, qui non modò benigne audiatur declamaturus, sed & abiturus piis dimittatur precibus & votis. Est *Lipsiensis* h. e. filius illius urbis, quæ in Laubaniensium filios non paucos tot & tanta contulit & adhuc confert beneficia, ut
ea non

ea non satis prædicari nedum remunerari queant. Cæterùm & Lipsiam ipse DEUS multarum urbium fecit obstetricem, quæ opem ferat parturientibus, h. e. variâ laborantibus inopiâ & de filiorum educatione sollicitis. Et sanè facit etiam optima hæc Civitas suum illud divinitus demandatum obstetricium tanta quidem cum laude, ut omni jure meritoq; divinum Patriæ nostræ imò totius Germaniæ cimelium dici queat. Semper itaq; decoranda est eis laudibus, quas olim in oratione Parentali memoriæ magni Lipsiensis Theologi D. Bosii solenniter habita, D. *Valentinus Alberti* summum quondam illud Lipsiensium Decus partim suis, partim Philippi Melanchtonis verbis dedit: Lipsia, (dicebat) quidem alias in se habet ea, quæ vel fugienti vinculum injicere obluquantemq; retinere possent. Cum anno superioris seculi quadragesimo primo Camerarius Tubingâ Lipsiam vocandus esset, inter alia Philippus Melanchton sic ad eum in Epistola: *Mibi crede, inquebat, multo magis ornata est hæc civitas ingenis quam vel opibus, vel operibus, quibus tamen excellere eam scimus. Scis, me hæc quidem in re mediocriter philosophari. Non opes aut ædificia miror, sed præstantiam ingeniorum, Senatus gravitatem, gubernationis formam ἀριστοκρατικήν. Inter hæc Lumina egregiorum Virorum Te quoq; conspici malim, quam in isto cætu Tubingensium, quem non quidem contemno, sed tamen ut anteferam illum perspicuis causis moveor.* Hinc & nostrarum est partium, ut Lipsiam, optimam illam tot hominum auxiliatricem DEO quotidianis iisque devotissimis precibus commendantes, omnigenam ipsi salutem apprecemur, nec ullam prætermittamus occasionem, qua gratam nostram interveniendi promptitudinem possimus demonstrare. Scribo hæc eâ de causâ, ut ostendatur, quantâ fiduciâ mihi honorificam *Literatorum Laubanensium* Præsentiam hac vice pollicear, ubi audiendus Adolescens, qui oriundus est *Lipsiæ*, cui *Lauba* multum debere ipsa fatetur, & propterea nostro *Lipsiensi* illud amoris officium, ut spes est, promptissimo animo tribuet, nec non eò ipso rem faciet GL. Dn. M. GLEISBERGERO, *Laubanensi*, non minùs gratam quam proficuum, quippe quem FLEISCHERIANA DOMUS Gratia, favore, Beneficiis sibi reddidit valdè obstrictum. Accedant itaque omnes ii, qui volunt, ut Lipsia porro foveat Laubam nostrosq; filios laudatissima sua hospitalitate aliisque beneficiis benignè sublevare pergat. Nostri Propemptici summa est: DEUS comitetur abeuntem & præclara nobilissimorum Majorum vestigia præclare semper premere jubeat! Fiat!

P. P. d. 9. Febr. Anno M. DC. IC.

